

L. Si quis facere cogitat unde mandatum certum non habet, si voluntatem suam suspensam tenuerit, donec Prælatum interroget, & ab eo quærat Domini voluntatem, cui vice ipsius obedit, non turbabitur quicquid ei præcipiatur: quoniam pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. (Ibid.)

L. Si alguno pienza executar, no teniendo precepto cierto, si tuviese suspensa su voluntad, hasta preguntar al Prelado, buscando la voluntad de Dios por medio de aquel, á quien en su lugar obedece, por nada de quanto le manden se turbará: porque es mucha la paz en los que aman tu ley, y no hay para ellos escándalo.



ADVERTENCIA.

No se pudieron analizar los Sermones sin que resultase un estilo sentencioso, libre de toda especie de adorno oratorio, por lo qual, de los analisis de los sermones de San Bernardo resultan puras y admirables sentencias. No hemos impreso estas sentencias en lengua vulgar por no repetir, como repite el Adicionador del original. Muchos Lectores gustarán de verlas en la lengua en que el Santo las escribió; y así las pondremos aquí en latin con las citas correspondientes.

Usque ad cordis cumpunctionem & oris confessionem occurras, ut saltem ex eas de sterquilino miseræ conscientiæ, quoniam indignum est illuc authorem puritatis intrare. (Serm. 1. de Advent. Dom.)

II. Denique quod damnabilius est, ipsa quoque inestimabilis hujus dignationis memoria datur in occasionem carnis, ut videas eos tanta sollicitudine diebus istis vestium gloriam, ciborum parare delicias, ac si hæc ejusmodi quærat in nativitate sua Christus, & ibi suscipiatur dignius, ubi hæc accuratius exhibeantur: sed ipsum audi dicentem: *superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Quid tanta ambitione vestes parás in natale meum? detestor ego superbiam, non amplector. Quid tanta sollicitudine ciborum copias reponis in tempus illud? damno ego carnis delicias, non accepto. (Serm. 3. in Adv. Dom.)

III. Tribue tribus quæ sua sunt, redde superiori, redde æquali & inferiori quod debes, & digne celebras adventum Christi: parans ei in justitia sedem suam. Redde, inquam, reverentiam Prælato & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis. Nec enim sufficit exterius obtemperare majoribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus

de eis. Quod & si tam manifeste innotuerit indigna Prælati alicujus vita, ut nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat; propter eum tamen à quo est omnis potestas, ipsum quem modo talem novimus, excelsum reputare debemus, non præsentibus personæ meritis, sed ordinationi divinæ, & dignitati ipsius officii deferentes. (*Ibid.*)

IV. Si cui forte Prælati es, huic sine dubio teneris debito sollicitudinis amplioris; exigit à te & ipse custodiam & disciplinam: custodiam quidem, ut possit cavere peccatum, disciplinam vero ut quod minus cavit, minime maneat impunitum. (*Ibid.*)

V. Quod si nemini fratrum præesse videris, habes tamen sub te cui custodiam hanc & disciplinam oporteat exhiberi. Dico autem corpus tuum quod sine dubio regendum accepit spiritus tuus; debes ei custodiam, ut non regnet in eo peccatum, nec membra tua arma fiant iniquitati. Debes & disciplinam ut dignos faciat poenitentiae fructus, castigatum & subditum servituti. (*Ibid.*)

VI. Longe tamen graviori & periculosiori debito tenentur adstricti qui pro multis animabus redditori sunt rationem. Quid ego infelix, quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certe id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa utique sapientia) sanguinem illum dedit. (*Ib.*)

VII. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Considera sane in his verbis, quoniam humilitas duplex est, altera cognitionis, altera affectionis, quæ hic dicitur cordis: prior cognoscimus quod nihil sumus; & hanc discimus à nobis ipsis & ab infirmitate propria. Posteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo discimus qui exinanivit semetipsum, for-

man servi accipiens, qui etiam quæsitus in regnum fugit, quæsitus ad tanta probra & ignominiosum supplicium crucis, sponte obtulit semetipsum. (*Serm. 4. in adv. Dom.*)

VIII. Sunt & alii mites, sed quandiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio. Patebit autem quam longe sint à vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. Hæc mansuetudo quomodo hæreditabit, quæ ante hæreditatem deficit? (*Ib.*)

IX. Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri possent esurire & sitire justitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem iudicium: sed nunc pondus, & pondus, utrumque abominatio est apud Deum, nam contra alios tam imprudenter quam inaniter æstuant; se ipsos tam insipienter quam inutiliter palpant. (*Ib.*)

X. *Si quis diligit me, sermones meos servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.* Sed quid est, si quis diligit me, sermones meos servabit? legi enim alibi: *Qui timet Deum, facit bona.* Sed plus aliquid dictum sentio de diligente, quia sermones Dei servabit: ubi ergo servandi sunt? haud dubium quin in corde, sicut ait Propheta: *in corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi:* Sed quomodo in corde servandi? an sufficit sola eos servare memoria? at vero sic servanti dicit Apostolus, quoniam *scientia inflat;* denique & memoriæ facile delet oblivio. Sic serva sermonem Dei, quomodo melius servare potes cibum corporis tui? ergo trajiciatur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, & in mores tuos. Comede bonum, & delectabitur in crassitudine anima tua. (*Serm. 5. in Adv. Dom.*)

XI. In illam ergo civitatem (*Nazareth*) missus est Angelus Gabriel à Deo: ad quem? *ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* Quæ est hæc Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo: tam humilis, ut desponsata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis! nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem.

Sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat foecunditas, & partus consecrat virginitatem? audis virginem, audis humilem: si non potest virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. . . . *Super quem* (inquit) *requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* Super humilem dixit, non super Virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus Sanctus non requievisset, si super eam non imprægnasset; quomodo enim de ipso concipiet? Patet itaque quia ut de Spiritu Sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, *respexit humilitatem ancillæ suæ Deus*, potius quam virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat quia etiam ut placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit. (*Hom. 1. de Laud. Virg. super verba; Missus est. &c.*)

XII. *Et erat subditus illis*: quis, quibus? Deus hominibus, Deus inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, & elige, quid amplius mireris, sive filii benignissimam dignationem, sive matris excellentissimam dignitatem. Utrunque stupor, utrimque miraculum. Et quod Deus foemina obtemperet, humilitas sine exemplo; & quod Deo foemina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, *quod sequuntur agnum quocumque ierit*. Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ etiam præit? disce, homo obedire, disce, pulvis, obtemperare. De authore tuo loquens Evangelista, *& erat*, inquit, *subditus illis*, haud dubium quin Mariæ & Joseph. Erubescere, superbe cinis; Deus se humiliat, & tu te exaltas; Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori. Utinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti, Deus respondere dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo. *Vade*, inquit, *post me, satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* (*Ibid.*)

XIII. Conjice tamen ex hac appellatione qua, licet dispensatoria, meruit honorari à Deo, ut pater Dei & dictus & creditus sit, conjice & ex proprio vocabulo (quod augmentum non dubites interpretari) quis & qualis homo fuerit iste Joseph, simul & memento magis illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solum vocabulum sortitum fuisse, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum & gratiam. Siquidem ille Joseph fraterna ex invidia venditus & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit. Iste Joseph Herodianam invidiam fugiens, Christum in Ægyptum portavit. Ille Domino suo fidem servans, Dominæ noluit commisceri, iste Dominam suam Domini sui Matrem agnoscens Virginem, & ipse continens fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum, isti datum est conscium fieri atque participem cælestium Sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo, iste panem vivum è cælo servandum accepit tam sibi quam toti mundo. Non est dubium quin bonus homo & fidelis fuerit iste Joseph, cui desponsata est Mater Salvatoris. Fidelis, inquam, servus & prudens quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutricium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum. (*Hom. 2. de Laud. Viag.*)

XIV. O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quam per terram ambulare; ne avertas oculos à fulgore hujus sideris (MARIÆ) si non vis obrui procellis: si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tentationum, respice stellam, voca Mariam; si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concuserit mentis, respice ad Mariam, si criminum immanitate turbatus, conscientia foeditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abisso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam

invoca. Non recedat ab ore, non recedat á corde, & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis: & sic in temeipso experiaris, quam merito dictum sit: & nomen *Virginis Maria* (Ib.)

XV. Solent Virgines, quæ veræ Virgines sunt, semper pavidæ, & numquam esse securæ: & ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse vivere Angelice inter homines, & in terris moræ cælestium conversari, & in carne coelibem agere vitam. (*Hom. 3. de Laud. Virg.*)

XVI. Duos Jesus lego in typo hujus quem in manibus habemus præcessisse, ambos populis præfuisse, quorum unus populum suum de Babylone eduxit, alter suum in terram promissionis introduxit. Et illi quidem illos quibus præerant, ab hostibus defendebant, sed numquid salvabant eos à peccatis eorum? is autem noster Jesus & populum suum salvat à peccatis, & introducit in terram viventium. *Ipsè enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quis est hic qui etiam peccata dimittit? utinam & me peccatorem dignetur Dominus Jesus annumerare populo suo, ut salvum me faciat à peccatis meis. Vere enim beatus populus, cujus iste Jesus Dominus Deus ejus, quia ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Vereor autem ne multi se profiteantur esse de populo ejus, quos tamen ipse non habeat pro populo suo: vereor ne plerisque qui quasi in populo ejus religiosiores esse videntur, ipse aliquando dicat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum, longe est à me.* Novit enim Dominus Jesus, qui sunt ejus; novit & quos elegerit à principio. *Quid me vocatis,* ait, *Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* vis scire an pertineas ad populum ejus, vel potius vis esse de populo ejus? fac quæ dicit Jesus & computabit te in populo suo. Fac quæ

jubet in Evangelio Dominus Jesus, quæ jubet in Lege & Prophetis, quæ jubet per Ministros suos qui sunt in Ecclesia; obtempera ejus Vicariis, præpositis tuis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. (Ib.)

XVII. Veni interim, Domine Jesu, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea: venit enim avaritia & vendicat sibi in me sedem, jactantia cupit dominari mihi; superbia vult mihi esse rex; luxuria dicit, ego regnabo; ambitio, detractio, invidia, & iracundia certant in me ipso de me ipso, cujus ego potissimum esse videat. Ego autem quantum valeo resisto: renitor quantum juvor, Dominum meum Jesum reclamo, ipse me defendo, quia ipsius me juris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, & dico: non habeo regem nisi Dominum meum Jesum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse rex meus & Deus meus qui mandas salutes Jacob. (*Hom. 4. de Laud. Virg.*)

XVIII. Adorna thalamum tuum, Sion, sed humilitate, sed paupertate. In his enim pannis complacet sibi, & Maria testimonium perhibente, his sericis delectatur involvi abominabiles Ægyptiorum immola Deo tuo. (*Serm. 1. in Vigil. Nat. Dom.*)

XIX. Necessitates multæ miseri hujus corporis detinent nos. Viscus quidam parvi desiderii, & delectationis terrenæ volare non patitur, & citius retrahit mentem si quando relevetur. (*Serm. 2. in Vig. Nat. Dom.*)

XX. Studete humilitati, quæ fundamentum est custosque virtutum; sectamini illam quæ sola potest salvare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut videns Deum cæli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? intolerabilis impudentiæ est, ut ubi exinanivit se majestas, vermiculus infletur & intumescat. (*Serm. 1. in Nat. Dom.*)

XXI. Noli fugere, noli timere, non venit cum armis; non puniendum, sed salvandum requirit: & ne forte dicas nunc: *Vocem tuam audivi, & abscondi me.* Ecce infans est, & sine voce; nam vagientis vox magis miseranda est, quam tremenda, aut si cui forte terribilis, non tibi. (*Ib.*)

XXII. Non est tale iudicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat, sed divinam falli impossibile est sapientiam: merito proinde & carnalis prudentia, mors siquidem est ipsa, inimica est Deo, & sæculi quoque prudentia stultitia nominatur. Quid enim? Christus utique qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum. Et quisquis aliud docet, vel suadet, ab eo tamquam à seductore cavendum. (*Serm. 3. in Nat. Dom.*)

XXIII. Plorat Christus, sed non sicut cæteri, aut certe non qua re cæteri solent. In aliis sensus, in Christo prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, utpote nec ipsius adhuc usum voluntatis habentes. Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Illi jugum grave quod est super omnes filios Adæ, Christus filiorum Adæ peccata deplorat: & certe pro quibus nunc lachrymas fundit, postea fundet & sanguinem. O duritia cordis mei! utinam, Domine, sicut verbum caro factum est, cor meum carneum fiat. (*Ibid.*)

XXIV. Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem sempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur; pudet itaque, dilectissimi, propriam negligenter dissimulare passionem, cui tantam à majestate tanta video exhiberi compassionem. Compatitur Filius Dei & plorat, homo patitur & ridebit? Sic & medicinæ æstimatio, & doloris mihi & timoris exaggeratio est.

XXV. Neque enim dicitur; omnes viæ ejus sola misericordia, sed *miseriordia & veritas.* Non minus justus quam misericors est, cui misericordia & iudicium decantatur, verum id quidem, cui vult miseretur, & quem vult indurat:

sed quod miseretur proprium illi est, ex se enim sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod iudicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipsius miseratio, quam animadversio procedere videatur. Ipsum audi dicentem: *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non magis ut convertatur & vivat?* Recte igitur non pater iudiciorum, vel ultionum dicitur, sed *pater misericordiarum.* Non modo quod pater videatur misereri potius quam indignari, & quemadmodum pater filiorum misereatur timentium se: sed & magis quod miserendi causam & originem sumat ex proprio, iudicandi, vel ulciscendi magis ex nostro. (*Serm. 5. in Nativ. Dom.*)

XXVI. Quis enim consoletur eos qui suam habent consolationem? Non consolatur Christi infantia garrulos; non consolantur Christi lachrymæ cachinantes; non consolantur panni ejus ambulantes in stolis: non consolantur præsepe & stabulum amantes primas cathedras in Synagogis; sed æquanimiter forte universam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominum, lugentibus pannosis pauperibus, cedere videbuntur. (*Ibidem.*)

XXVII. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium, & verecundum pariter, & austerum sine ulla necessitate suscipit, nec repulit cultrum lapideum, in quo solo vetus illa quæ raderetur rubigo non fuit. Nos è contra inverecundi ad obscenitatem culpæ, erubescimus agere poenitentiam, quod extremæ dementiæ est, male proni in vulnera, pejus in remedia verecundi: qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari; nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Itane sano opus est medicina, & non potius male habentibus? (*Serm. 1. in Circumc. Dom.*)

XXVIII. Habes ergo unum ex his omnibus appellationi-

bus Jesum : nec omnino aut vocari posset aut esset salvator, si quippiam horum defuisset. Nunquid non vere *admirabilem* eum singuli sumus experti, in mutatione utique voluntatum nostrarum? hoc nempe est. salvationis nostræ principium, cum incipimus respicere quod diligebamus, dolere unde latrabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis plane qui hæc operatur mirabilia. (*Serm. 2. in Circumc. Dom.*)

XXIX. *Mihi*, inquit, *absit gloriari nisi in cruce Domini Jesu Christi*. Quid enim nobis gloriosius quam quod tanti æstimavit nos Deus? quæve major illi gloria, quam tanta dignatio & tanta benignitas, eo utique dulcissima, quod tam gratuita? nam pro impiis mortuus est. Videtis quantum fecit, & pro qualibus. Pro qualibus, ut non superbiamus; quantum, ne desperemus, propterea ut inveniamini non spiritum habere hujus mundi, sed Spiritum qui ex Deo est, & sciatis quæ à Deo data sunt vobis. (*Serm. 3. in Circumc. Dom.*)

XXX. Sed quid mirum si caput pro membris accepit curationem, quam tamen in se ipso non habuit necessariam? Nonne & in membris nostris sæpe pro unius infirmitate alteri adhibetur curatio? Dolet caput, & in brachio fit coctura; dolent renes, & fit in tibia. Ita hodie pro totius corporis putredine cauteriam quoddam infixum est in capite. Denique quid mirum, si pro nobis dignatus est circumcidi, pro quibus dignatus est mori? totus siquidem mihi datus, & totus in meos usus expensus est. Ego enim audiens, quia transit ante carcerem filius magni regis, coepi altius gemere & miserabilius exclamare, dicens: *Fili Dei, miserere mei.* (*Ibidem.*)

XXXI. Denique parvulus est, leviter placari potest. Quis enim nesciat quam puer facile donat? ecce si non fuerit nobis pro minimo, inquam, non tamen sine poenitentia, sed quia minimum quiddam sit nostra ipsa poenitentia. Pauperes sumus, parum dare possumus, at tamen reconciliari possumus pro parvo illo, si volumus; totum quod dare possum, miserum

corpus istud est: illud si dederò, satis est, si quo minus, addo, & corpus ipsius. Nam illud de meo est & meum est. Parvulus enim datus est nobis, & filius datus est mihi, de te Domine, suppleo quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio! o satisfactio suavissima. O vere reconciliatio facilis, sed perutilis! satisfactio parva, sed non parvipendenda! etenim quam facilis modo, tam difficilis erit postea: & sicut modo nemo est qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo qui possit: quoniam sicut benignitas apparuit ultra omnem spem, ultra omnem æstimationem, similem expectare possumus iudicii distractionem. (*Ser. 1. in Epiphan. Dom.*)

XXXII. Duas igitur alas habeat oratio nostra, contemptum mundi, & afflictionem carnis: nec dubium quin cælos penetret, & dirigatur sicut incensum in conspectu Dei. Erit enim gratum sacrificium & acceptabilis oblatio nostra, in qua cum auro & thure fuerit etiam myrrha, quæ licet amara sit, tamen perutilis est, & conservat corpus, quod mortuum est propter peccatum, ne defluens in vitium putrefiat. (*Ser. 3. Epiphan. Dom.*)

XXXIII. Nam & pueris simplicitas naturalis, & cognata Virginibus verecundia est. Omnibus ergo nobis in conversionis nostræ initio nulla magis virtus necessaria est, quam simplicitas humilis, & gravitas verecunda. (*Ibid.*)

XXXIV. Est autem justitia quædam stricta & angusta valde: ita ut quam cito pedem verteris, in peccati foveam cadas; nec præponere se æquali, nec æquare præposito. Hujus definitio est reddere unicuique quod suum est. Altera latior & amplior justitia, nec æquare se æquali, nec inferiori præponere: sicut enim grandis & gravis est superbia preferre se æquali, aut æquare præposito, ita magnæ humilitatis est, inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima & plena justitia est se inferiorem exhibere etiam inferiori. Sicut enim summa & intolerabilis superbia est superiori se præponere, ita inferiori se subdere summa & plena justitia est. (*Serm. 4. de Circ. Bapt.*)

& verbo Domini ad Joan.)

XXXV. Discite ex hoc, fratres, justum judicem Deum; non modo quid, sed & quo animo fiat, considerate; & cavete deinceps ne quis parva reputet, quamlibet parva scienter delinquere vincatur. Nemo dicat in corde suo: levia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impoenitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis. (Ser. I. in Conv. S. Paul.)

XXXVI. Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat: *quid vis ut faciam tibi?* non ipsi quærant, *Domine quid me vis facere?* Considerare necesse habent ministri Christi, quid sibi præcipi velint, non ipsi considerant quæ voluntas sit præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum qui non suam sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt & dijudicant, eligentes in quibus obediunt imperanti, imo in quibus præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. (Ibid.)

XXXVII. Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiore quam habuit, nimirum qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es qui teipsum offerre cuncteris? quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus & animam dico: utinam hoc tibi perfecte possim sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longeque gloriosius & utilius est, ut tibi magis offeram, quam deferam mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea contrahetur, in te vero exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Fratres, morituro Domino Judæus mortuas Hostias offerebat, sed jam nunc, *vivo ego,*

dicit Dominus: *nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat.* Non vult Dominus mortem meam, & non libenter offeram illi vitam meam? hæc est enim hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viva. (Ser. 3. in Purific. Beatae Mariæ.)

XXXVIII. Hodie, dilectissimi, sacrum quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ: non nobis singularis est hæc observatio; una omnium est; quicumque in eandem fidei conveniunt unitatem. Quidni commune sit Christi jejunium omnibus Christianis? quidni caput suum membra sequantur? si bona suscepimus ab hoc capite, mala autem quære non sustineamus? an respuere tristitia volumus, & communicare jucundis? Si ita est, indignos nos capitis hujus participatione probamus; omne enim quod patitur ille, pro nobis est; quod si in opere salutis nostræ collaborare piget, in quo deinceps coadjutores nos exhibebimus illi? Non est magnum, si jejundet cum Christo, qui sessurus est ad mensam Patris cum ipso. Non est magnum si compatitur membrum capiti, cum quo & glorificandum est. (Ser. I. in capit. jejunii.)

XXXIX. Sed & ea quoque, quæ secundum carnem est tristitia, mortem operatur. Si pro tuo sive proximi peccato doles, bene facis; & hæc tristitia est ad salutem. Si gaudeas ad munera gratiæ, hoc gaudium sanctum est, & securum gaudium in Spiritu Santo. Debes & in dilectione Christi, fraternis congaudere prosperitatibus, & adversitatibus condolere. (Ser. 2. in cap. jejuni.)

XL. Volo tamen vos admonitos esse fratres meos, observandum illud non ab escis tantum, sed ab omnibus illecebris carnis, & universa corporis voluptate. Imo vero jejunandum longe amplius à vitiis quam à cibis. Sed est panis à quo vos jejunare nolo, ne forte deficiatis in via; & si nescitis, panem dico lachrymarum. Sequitur enim: *in jejunio, & fletu, & planctu.* Exigit enim planctum à nobis poenitentia præteritæ conversationis; exigit fletum desiderium futuræ beatitu-

dinis. *Facta sunt mihi lachrymæ meæ, panes diæ ac nocte,*
ait Propheta, *dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus?*
parum ei placet hujus vitæ novitas, quæ necdum vetera plangit,
necdum plangit admissa peccata, necdum plangit tempus
amissum. Si non plangis, plane non sentis animæ vulnera,
conscientiæ læsionem. Sed nec futura satis gaudia concupiscis,
si non quotidie satis postulas ea cum lachrymis. Minus tibi
nota sunt, si non renuit consolari anima tua, donec veniant.
(*Ibid.*)

XLII. Potest tamen & aliter intelligi hæc scissio cordis;
ut si quidem pravum fuerit, scindatur ad confessionem:
si durum, ad compassionem. (*Ibid.*)

XLII. Rogo vos, dilectissimi, tota devotione suscipite
quadagesimale jejunium, quod non sola abstinentia commendat,
sed multo magis sacramentum. Nam si devote usque modo
jejunavimus, utique sancto hoc tempore jejunandum est nobis
multo devotius. Si quid enim additur ad solitum abstinentiæ
modum, nunquid non valde indignum est, ut nobis onerosum sit,
quod Ecclesia portat universa nobiscum? Hactenus usque ad nonam
jejunavimus soli, nunc usque ad vesperam jejunabunt vobiscum
pariter universi Reges & Principes, Clerus & Populus, nobiles &
ignobiles, simul in unum dives & pauper. Hæc idcirco dixerim,
fratres, ne quis forte turbetur à pusillanimitate spiritus, &
jejunium presens quis minori devotione suscipiat, dum se
fortassis meminerit prioris quoque jejunii pondus satis
difficile tolerasse. (*Serm. 3. de jejunio Quadrage.*)

XLIII. Jam vero si commendant jejunium præsens Moyses
& Elias, quamvis magni, tamen conservi nostri, quantum
commendat illud Jesus Dominus noster, qui & ipse diebus
totidem jejunavit? Denique tanto devotius imitandum nobis
est, dilectissimi, Christi jejunantis exemplum, quanto certius
est pro nobis, eum jejunasse, & non propter seipsum. (*Ibidem.*)

XLIV. Continuanda nobis est quadagesima cunctis diebus
hujus miseræ vitæ, dum per auxilium gratiæ necesse est nos
Decalogum legis implere. Errant plane qui paucissimos dies
istos ad poenitentiam sufficere credunt, cum certum si totum
vitæ hujus tempus non nisi ad poenitentiam institutum. (*Ib.*)

XLV. Quod si gula sola peccavit, sola quoque jejundet &
sufficit. Si vero peccaverunt & membra cætera, cur non jejundet
& ipsa? Jejundet ergo oculus qui deprædatus est animam,
jejundet auris, jejundet lingua, jejundet manus, jejundet etiam
anima ipsa. Jejundet oculus à curiosis aspectibus, & omni petulantia,
ut bene humiliatus coerceatur in penitencia, qui male liber
vegabatur in culpa. Jejundet auris nequiter pruriens à fabulis
& rumoribus & quæcumque otiosa sunt, & ad salutem minime
pertinentia. Jejundet lingua à detractatione & murmuratione,
ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis: interdum quoque
ob gravitatem silentii & ab ipsis quæ videri poterant necessaria.
Jejundet manus ab otiosis signis & ab operibus omnibus
quæcumque non sunt imperata. Sed & multo magis anima ipsa
jejundet à vitiis & à propria voluntate sua. (*Ibid.*)

XLVI. Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium
gratiam promeretur orandi. Jejunium orationem roborat, oratio
sanctificat jejunium, & Domino repræsentat. (*Serm. 4. in Quadr.*)

XLVII. Profundum est cor hominis & imperscrutabile.
Sed si magna est iniquitas mea, multo major est, Domine, pietas
tua. (*Ibid.*)

XLVIII. Quæ vero fidelis & humilis, & fervens oratio
fuerit, cælum sine dubio penetrabit, unde certum est quod
vacua redire non poterit. (*Ibid.*)

XLIX. Ipsi gestamus laqueum nostrum, ubique proprium
circumferimus inimicum, carnem hanc, loquor, de peccato natam,
in peccato nutritam, corruptam nimis ipsa origine, sed
multo amplius prava consuetudine vitiatam. (*Serm. 5. in Quadr.*)